

Bibliothèque numérique

medic@

Dupré, Louis-Gabriel - candidat /
Poissonnier, Pierre - président. -
Perfectione ne somni tempore ???????.
?

1745.

*Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2330 n°11*



DEO OPTIMO MAX UNI ET TRINO.

VIRGINI DEI - PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBET ARIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ
mensis Februarii, anno Domini M. DCC. XLV.*

M. PETRO POISSONNIER,
Doctore Medico, Præside.

Perfector-ne somni tempore χύλωσις?

I.



ONGAM vitæ usuram nemo non ardet; immaturam necem ne-
mo non conqueritur: adeò votorum factorumque ratione sibi ma-
lè constat, adeò dissidet à se ipso, se ipsum stolidè fallens inex-
tricabilis homo. Ast illa, quæ tibi tantum arridet Nestorea se-
nectus, deorum munus, erroris pretium non est. Dùm molli-
tie diffuunt, gulæ, Baccho, veneri dum indulgent turpiter, &
in ipso quasi voluptatis sinu semisopiti conquiescunt, non in-
telligunt, malè feriati mortales, quantò magis fallacibus irretiti sunt lenociniis,

A

tantò celerius ad libitinam se properare. Ea est naturæ vis, eo gaudet jure natura, ut sancitas à se-met ipsâ leges transiliat impunè nemo. Qui refragabitur, præcipiti fato, pœnas dabit. Sua sunt definita Vigiliæ, sua somno tempora. Longiora illi, huic breviora; nec, extrâ præscriptum ordinem, accersenda. De-fessum labore corpus opportunâ reficiatur quiete. Sit, in cibo & potu, modus inediam inter & crapulam constitutus; recreandus utroque stomachus, non sa-ginandus. Adulteratis quæ famem mentiuntur eduliis diffide; avidis quæ blan-diuntur faucibus, hunc, colubri dente, vellicant. Cùm sit unica simplex-que naturæ via, quam ultrâ citràque consistere vita nequeat, quisque suam ita vivendi rationem instituat, ut ab eâ lege aberret neutiquàm; nec suo, sed naturæ poscentis arbitrio, sese mancipatum existimet. Cujus quidem domi-nio, cùm subiaceat animalis œconomia, tùm maximè naturalibus quas vocant functionibus prospicit. Harum facilè princeps *χύλασις*. Quæ cæteris, quantò præ-stantior, eò diligentius procuranda. Verùm si (quod est in omnium consensu) præsertim conferat ad *χύλασις* perfectionem temporis opportunitas, illud sanè assignandum esse constat, quo omnia organa, omnia inquam virium momenta ad id operis inservientia, validiora sunt simul & æquabiliora.

I I.

Xύλασις ea functio est quâ ventriculo & intestinis ingesta in Chylum mutan-tur. Quanta sint exquisiti liquoris munia, neminem fugit. Secretionum om-nium promptuarium dicas, à quo vitæ fontes indefinenter largâ seaturiunt as-pergine: à quò sanguis, quâque die redivivus perennitatem, partes omnes in-crementum mutuatur, durationem & robur. Huic elaborando, perficiendo, unâ conspirant tritus & fermentatio. Coniunctam utriusque necessitatem, quis in-ficiabitur? Quis initum scœdus ausit dissolvere? Hoc invictè probant solidor-um situs, ordo, connexio, verbo, mirabilis fabrica. Hoc certò certius indicant, liquidorum ex omni fermè abdominis (ne totius corporis dixerim) puncto afflu-xus, derivatio, infinita propè modum diversitas, ortus, *ἐνέργεια*. Anceps hæ-res? Quid in hâc functione natura molitur paucis tene. Discerpta ope den-tium alimenta premit & promovet œsophagus; imò ventriculo committit un-dulatim non tumultuosè. Ventriculus delapsa volvit, revolvit, amplectitur, com-primit, sicque partes integrantes præparat ac subigit. Expressa à ventriculo tu-bulus intestinalis per mille ambages deducit, & in hiantes canaliculos adigit. In-terea saliunt undique infiniti lympham quaquaversum fundentes rivuli, quibus irro-rentur, fermento imbuantur, & per vices, solvantur alimenta. Qui turgescunt in ore salivæ miscelâ, molliores boli, fermentationis prodromum quodammodo odoran-tur, quam quidem in ventriculo ulterius prosequitur succus gastricus cum par-tes denudatas & integrantes adoritur, penetrat, essentielles extricat; quam tan-dem augent, perficiuntque bilis & succus pancreaticus in duodeno, donec ritè defœcatus, per vasa lactea, ad sanguinis oceanum Chylus appellat. Hæc omnia fieri intelligas, placide & sinè conflictu. Solida motu suo præparant, liquida complent: hæc insensibiliter: prima conterendo, altera solvendo & imbuendo. Sic absolvitur *χύλασις* porrò somni tempore aptius nullum videtur ad hujus fun-ctionis perfectionem.

SOMNUS naturalis est ille status œconomix animalis, in quo feriantur motus voluntarii, adaugentur verò motus involuntarii. Sufflaminatur interim influxus spirituum animalium è Cerebro. At eo ipso tempore quo silent, cum interiorum, tum exteriorum sensuum organa, recrudescit viscerum robur. Cordis, arteriarumque motus fit fortior, æquabilior, plenior; respiratio profundior, robustior, placidior, humorum vitalium circuitus validior, per canales tunc liberiores, laxiores, à musculorum vario motu non impeditos, liquorum ingressui proinde patentiores. Hinc adauctæ secretiones, idque debet intelligi de liquidis *χύλωσι* peragenda dicatis. Æstimari quippe solent secretiones quælibet à velocitate simul & copiâ liquidum fecernendi; sed somni tempore, positâ prius æquabilitate, Bilem cæterosque ad *χύλωσιν* humores copiosius affluere, derivari quis negaverit? Collapsis etenim membris, torpescunt ultima vasorum stamina, hinc major adveniendi appulsoque sanguini resistantia; ex eâ resistantiâ major Cordis contractio, validior proinde sanguinis circuitus quoad corporis interna. Jam sanguis rectâ pulsus per vas conicum in ejusdem parietes impingit, arietat, fistularum lateralium subit orificia sicque ad hepatis, pancreatis, &c. *παρεγχύμα* validius simul & æquabilius appellit. Crescit itidem ventriculi calor, quem innuit, major, ad hoc viscus, spirituum proindeque liquorum omnium affluxus, circuitus. Hinc validiora simul & æquabiliora tritus & fermentationis organa, inoffensâ quam enarravimus æquabilitate, cum semper adsit in ratione directâ, cum partium motu.

QUÆ placidè fit & ex naturæ consensu, tempore somni *χύλωσι*, hæc confusè & invitâ quasi naturâ perficitur dum vigilat animal. Qualem affectus animi tyrannidem exercere valeant in ventriculum, multi norunt nimium experti. Externa quibus subijcitur objecta inordinatos œconomix animali continuò imperiunt motus, qui varii, varias functionum principi lates inurunt. Quid enim ventriculi & totius ferè corporis harmoniæ magis adversatur? Quid solidorum tonum liquidorumque *κρᾶσιν* magis subvertit? Finge quantos alternatim à dolore, gaudio, desperatione, metu, odio, amore, irâ patiaturs insultus animalis œconomia. Torpet, exultat, horret, furit, accenditur, deficit: Hinc lentior, citior, æqualis nunquam, fluidorum circuitus. Hinc succutiuntur, relaxantur, convelluntur, rigent nervi, singulis corporis partibus savientes tumultus allaturi. Ast talibus vacat incommodis tempore somni, aut saltem minùs plectitur. Non plures ut in vigiliâ sibi eodem instanti succedunt affectus. Non igitur à prius efferato spirituum animalium fluxu viscera conturbantur; non, modò laxior, modò rigidior ventriculi fibrarum contractio. Non surget indè alimentorum inæqualis divisio; non crassiores particulæ mole suâ ponderosiores fundum petent, dum leviores fursùm attolentur. Verbo dicam, non ergò partium principiorumve imperfecta miscela. Sed placidum connubium, æqualis & ordinata subactio, lævigatio, quâ *χύλωσις* scopus feliciùs attingatur.

NON temerè, aut falsò sentimus, si *Celsi, Hippocratis, Sanctorii*, plurimorum-
que non inferioris notæ, pro nobis militet auctoritas. Somnum prodesse vis-
ceribus innuit divus senex. ^a *Vigilia*, inquit, *in cibo exsatiatis noxia est, non per-*
mittens cibum liquari. ^b *Confert & in estate, somno meridiano uti, ne Corpus ab anni*
tempore reficcetur. Sed si prodest visceribus somnus, ergo & ventriculo; si ventri-
culo ergo *χύλωσις*. Non dissentit à *Græco* Romanus *Hippocrates* ^c *post satietatem nil*
agendum; ubi expletus est aliquis, facilius concoquit, si quidquid assumpsit, portione aquæ
frigida includit, tum paulisper invigilat, deinde benè dormit. Qui non concoxit ex to-
to conquirere debet, ac neque labori, neque exercitationi, neque negotio se credere.
Quin & *Sanctoriana* experimenta nobiscum consonant. *A Cibo somnus, a somno*
coctio, à coctione utilis perspiratio. Ex his haud immeritò deducitur æstimari perspi-
rationem à *χύλωσις*; hinc quò felicior ista eò fane perfectior perspiratio. Sed con-
stat perfectiorem esse somni tempore perspirationem, ergò & *χύλωσιν*. Tàm validis
innixam rationum momentis opinionem ulterius evincit ea quæ invaluit apud au-
strinæ regionis incolas consuetudo; meridianur scilicèt, ut amicâ quiete, per ca-
lorem ad interna accitum, viscera refocillentur, nec absolvendæ *χύλωσις* utili li-
quidorum affluxu defraudetur ventriculus. Stet itaque rata conclusio;

a Libr. V. de
morb popu-
lar. f. 5.

b Libr. de
diæta.

c Cornel.
Cels. Libr. I.

Libr. eod.

Aphor. 59.

Ergò perfectior somni tempore χύλωσις.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus Dionis.

M. Gedeon de Rabours.

M. Laurentius Ferret, Chirurg-
iæ Gallico Idiomate Professor.

M. Joannes Midy.

M. Joannes Belleteste.

M. Michaël-Philippus Bouvart,
è Regiâ Scientiarum Acade-
miâ.

M. Raymundus-Jacob Finot.

M. Petrus le Tonnelier.

M. Petrus-Joannes Burette, Anti-
quior Scholæ Magister, Regis
Consiliarius Medicus & Sub-
Bibliothecarius, Professorum Re-
giorum Decanus, è Regiâ In-
scriptionum & Humaniorum
Litterarum Academiâ & Re-
gius Librorum Censor.

Proponebat Parisiis, LUDOVICUS-GABRIEL DUPRE', Remensis;
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus Medicus,
A. R. S. H. 1745, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1745.